DISSERTATIONE SECVNDA

IMPVTATIONEM CVLPAE CIRCA CONTRACTVS

CVMPRIMIS

INNOMINATOS ET REALES

EX CONSENSV

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBIICIVNT

PRAESES

IO. IVSTINVS SCHIERSCHMID

PHIL. ET I. V. D.

ET RESPONDENS

GEORGIVS BVRCHARDVS BAERMANN

LIPSIENS.

DIE VIII. SEPTEMBR. ANNO M DCC XXXV.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.



DISSERTATIO SECVNDA
DE
IMPVTATIONE CVLPAE CIRCA CONTRACTVS CVMPRIMIS INNOMINATOS ET REALES.

§. I.



Mputationem culpae circa contractus complures ICti ad ſcientificam Iuris cognitionem adſpirantes ſuis difficultatibus liberare atque ad principia certa reducere anniſi fuere: Quorum conatui ſatis felici vlteriora principia, notionesque determinatas ſubminiſtrare iamiam in elementis meis et in prima diſſertatione incepi. Cum autem in illa Diſſertatione hancce materiam de imputatione culpae circa contractus promiſerim: eandem in praeſenti vberiori calamo exponere animus fuit: Aſt cum principia, quae haec imputatio, praeter illa, quae in prima tradidi, in ſpecie praeſtruit, plures paginas impleuerint: Inde iſta hoc loco eruta principia tantum ad innominatos et contractus reales applicare mihi contigit; imputationem autem culpae circa reliquos contractus et pacta legitima in tertia exponere cogor.

§. II.

Declarationem voluntatis alteri factam de re aliqua effectui danda, vel ab eodem reprimenda, vocamus *consensum.* Sed voluntatem nostram vel verbis vel facto, a quo ad illam concludimus, declarare possumus. Inde *consensus expressus* concipitur et *tacitus.*

§. III.

Ea, quae rei cuidam ordinarie vel insunt, vel adsunt, efficiunt *praesumtionem.* Cum igitur quilibet ordinarie suam velit vtilitatem et ea, quibuscum illa connexa. Quare quilibet praesumitur, se velle vtilitatem et ea, quae cum illa connexa sunt. Inde constat quid *consensus praesumtus* sibi velit. (§. 2.)

§. IV.

Promittere aliquid est affirmare, se velle alteri aliquid praestare, *et acceptare promissum* est consentire in alterius promissum. Vnde intelligitur, quid sibi velit promissum acceptatum ab altero, quo *pactum* absoluitur.

§. V.

Promittens affirmat, se velle alteri aliquid praestare (§. praec.) praestare alteri aliquid, est vel aliquid effectui dare, vel ab eodem reprimere. Promittens adeo affirmat, se velle intuitu alterius vel aliquid effectui dare, vel ab eodem reprimere. Quicquid effectui dari debet, vsum virium quarundam eidem sufficientium praestruit. *Promittens adeo affirmat, se velle vti viribus suis promisso sufficientibus intuitu alterius.*

§. VI.

Promittens affirmat, se velle vti viribus suis promisso sufficientibus intuitu alterius (§. praec.) Promissum est finis, et is, qui vtitur viribus suis intuitu alterius in fine aliquo obtinendo, alterum virium suarum participem reddit in fine aliquo obtinendo. *Promittens adeo affirmat, se velle virium quarundam suarum in fine alterius obtinendo alterum participem reddere, et consequenter alteri auxilium exhibere.*

§. VII

§. VII.

Acceptans promiſſum in promiſſum alterius conſentit (§. 4.) adeoque idem vult ac promittens. (§. 2.) Sed promittens vult alteri auxilium exhibere (§. praec.) *Quare promiſſum acceptans vult, vt auxilium quoddam a promittente ſibi exhibeatur.* Vnde conſtat, quod auxilium, quo alter indiget, et quod alter priori exhibere contendit, ſit id, ex quo geneſis promiſſi acceptati ab altero, et conſequenter pacti concipitur. Cum autem porro id, quod auxilium nobis praebet, ſimul vtilitatem praeſtet. Inde apparet, quod *vtilitas, qua vnus ab altero indiget, et quam alter eidem conferre contendit, cauſam ordinarie dederit pactis ineundis.* conf. *Illuſtr.* RECHENBERGII *Inſtit. Iurispr. Natur. l. II. t. 2. §. 2.*

§. VIII.

Vtilitas ex re alterius proueniens, qua vnus ab altero indiget, cauſam dedit paciſcendi hominibus (§. praec.) Verum homines ordinarie gratis boni ſeu benigni non ſunt, vti principia pſychologiae et experientia loquuntur. Quare homines vtilitatem ex rebus ſuis prouenientem, qua vnus indiget, ordinarie gratis per pactum non transferunt, *ſeu pacta ordinarie gratuita non ſunt.* conf. Illuſtr. Aut. l. c.

§. IX.

Promittens affirmat, ſe velle vti viribus promiſſo ſuo ſufficientibus intuitu alterius. (§. 5.) Sed vſus virium noſtrarum explendo actui ſufficientium diligentiam inuoluit (§. 78. Diſſ. I.) *Promittens adeo affirmat, ſe velle alteri in re quadam certum diligentiae gradum exhibere.* conf. *L. 23. in med. ff. de R. I.*

§. X.

Tria inprimis circa pacta et contractus annotanda veniunt, nimirum ea, quae ex eſſentia pacti et contractus immediate fluunt, et inde *eſſentialia* pactorum vocantur; deinde ea, quae quidem vnice et immediate ex eſſentia pacti non fluunt, ordinarie tamen pacto vel contractui inſunt, et *naturalia pactorum* dicuntur; denique ea, quae quidem eſ-

ſentiae pacti vel contractus non contradicunt, ex eadem autem neque immediate concipiuntur, neque etiam eidem ordinarie adſunt vel inſunt, et *accidentalia* appellantur. conf. STRVVII *Exerc. VI. §. 23. Syntag. Iur. Ciuil.*

§. XI.

Naturalia pactorum ex eſſentia eorum immediate haud concipiuntur (§. praec.) Cum autem ea, quae ex eſſentia alicuius rei vnice et immediate haud concipiuntur, mutabilia ſint, vti Philoſophus (in Ontol.) demonſtrat. Inde nullus dubitat, *quin naturalia pactorum per conſenſum paciſcentium ſpecialem iuſtum mutari poſſint.* conf. STRVVII *Syntagm. l. c.*

§. XII.

Id, quod pacto iuſto alteri promiſimus, vel repromiſimus, τὸ ſuum acceptantis fieri in Elementis meis Iuris Ciuil. (§. 102. Praecog.) demonſtraui. Verum ſuum alteri tribuere officium perfectum, et inde obligationem perfectam determinat (§. 40. Diſſ. I.) id igitur, quod pacto iuſto alteri promiſimus vel repromiſimus, ſit officium perfectum, ſeu ad illud perfecte obligamur. Cum autem promiſſiones vel repromiſſiones conſenſum noſtrum inuoluant, (§. 2, 4.) Hinc prior propoſitio ad hanc quoque redit; *id, in quod pacto iuſto conſenſimus, ſit officium perfectum. L. 23. in med. ff. de R. I. L. 11. §. I. ff. de Act. emt. vend.*

§. XIII

Is, qui ei, in quod pacto iuſto conſenſit, diſconuenienter moraliter agit, officio perfecto moraliter diſconuenienter agit, (§. praec.) Officium perfectum morale, eſt actio legibus ſtricte dictis moralibus conformis (§. 15. Diſſ. I.) Quare is, qui ei, in quod pacto iuſto conſenſit, diſconuenienter agit, legibus ſtricte dictis moralibus diſconuenienter agit, et conſequenter laeſionem perfectam moralem, adeoque damnum morale alteri infert (§. 118, 123. Diſſ. I.) cum autem ei, qui damnum morale alteri infert, illud et ad reparationem damni et ad poenam imputetur (§. 147. l. c.) Inde conſtat, quod illi, *qui ei, in quod pacto iuſto conſenſit, diſconuenienter*

agit,

agit, inde resultans damnum, et ad reparationem damni dati, et ad poenam imputetur.

§. XIV.

Ea, quae rei cuidam ordinarie vel insunt vel adsunt, efficiunt praesumtionem (§. 3) Cum autem naturalia pactorum sint ea, quae ordinarie pacto et contractui insunt vel adsunt (§. 10.) Hinc constat, quod naturalia pactorum sint ea, in quae paciscentes praesumtiue consenserunt. Sed ad ea, in quae pacto iusto consentimus, alteri exhibenda obligati sumus (§. 12.) *Quare ad naturalia pactorum alteri exhibenda perfecte obligati sumus, nisi de alio consensu iusto speciali, ab hoc praesumto diuerso, constet.* (§. 11.) conf. *L. 11. §. 1. ff. de Act. emt. et Vend.*

§. XV.

In omni pacto iusto in quemdam diligentiae gradum consentimus. (§. 9.) Sed ad id, in quod pacto iusto consentimus, alteri praestandum perfecte obligati sumus, (§. 12.) *Quare ex omni pacto iusto et contractu ad certum diligentiae gradum, nimirum ad eum, in quem eodem pacto consentimus, rei conferendum, perfecte obligati sumus.* quam propositionem *L. 23. ff. de R. I. exprimit.*

§. XVI.

Is, qui eum diligentiae gradum moraliter intermittit, in quem pacto iusto consensit: ei, in quod pacto iusto consensit, moraliter disconuenienter agit (§. praec.) *et consequenter ei, qui eum diligentiae gradum moraliter intermittit, in quem pacto iusto consensit, inde alteri resultans damnum et ad reparationem damni dati, et ad poenam imputari debet.* (§. 13.)

§. XVII.

Si de imputatione culpae circa contractus sermo est, tum dispiciendum, quandonam culpa commissa, ex contractu nobis imputari potest? et huius imputabilitatis principium adaequatum et certum proxime praecedens propositio est, quam iamiam in principia, circa pacta iusta, resolui. Inde omnis intermissio diligentiae indeliberata nobis ex pacto

pacto imputari nequit, si in eiusmodi intermissum diligentiae gradum non consensimus (§. 15.) Interea tamen cum damna ex alterius culpa citra respectum ad pacta et contractus nobis suborta, delicta priuata culposa inuoluant (§. 3. et 4. l. 3. t. 9. Elem.) quae, vti in praecedenti Dissertatione §. 155. demonstraui, ex lege Aquilia vindicantur et imputantur. Inde dubium maximum, quod B. THOMASIVS in §. 27. Disputat. *de vsu practico doctrinae difficillimae Iur. Rom. de culparum praestatione in contract.* format, remouetur. Exinde quidem Thomasius ICtos Romanos obscuritatis accusat; cum tamen ex principiis nostris istis ICtis intellectus Systematicus attribuendus sit illosque, si ad ipsorum tempestatem respicias, omni laude dignos censere possimus.

§. XVIII.

Is, qui circa pacta iusta dolose agit, omnem diligentiae gradum intermittit, adeoque et eum, in quem pacto iusto consensit (§. 104. Diss. I.) sed ei, qui eum diligentiae gradum moraliter intermittit, in quem pacto iusto consensit, damnum alteri inde resultans, et ad reparationem damni et ad poenam imputari debet (§. 13.) *Quare ei, qui dolose circa pacta iusta agit, damnum inde alteri resultans, et ad reparationem damni dati, et ad poenam imputari debet. L. 23. ff. de R. I. L. 7. pr. L. 5. §. 2. ff. commod.*

§. XIX.

Qui infimum diligentiae gradum intermittit, omnem diligentiae gradum intermittit, sed qui culpam latam committit, infimum diligentiae gradum indeliberate intermittit (§. 114. Diss. I.). Inde is, qui latam culpam circa pacta iusta committit, omnem diligentiae gradum, adeoque eum quoque intermittit, in quem pacto iusto consensit, et consequenter *damnum alteri paciscenti ex lata culpa vnius resultans, et ad reparationem damni dati et ad poenam imputari debet.* (§. 13.) *L. 37. ff. dep.*

§. XX.

§. XX.

Si vnus contrahens sciens id effectui dare contendit, in cuius abstinentiam consensit; tum contrahens hoc ipso deliberate vtitur viribus explendo officio contrariis, (§. 5, 12.) et consequenter eo ipso, quo sciens id effectui dare contendit, in cuius abstinentiam consensit, dolum circa pactum vel contractum committit (§. 78. Diss. I.) Interea tamen in hoc facto illicito, quod contractus in specie ignorat, culpam committere potest. Cum autem is, qui facto suo culposo citra respectum ad pacta rem alterius deteriorem reddit, etiam ex lege Aquilia ad reparationem damni culpa dati obligetur (§. 155. l. c.) Hinc concipiendum cur ICti Romani hoc in casu, quo contrahens sciens factum committit, in cuius abstinentiam consensit, et in cuius peractione, culpa quacunque rem pactitiam singularem deteriorem reddit, concesserint, quoad dolum primum occurrentem, actionem ex contractu, quoad culpam in facto illicito occurrentem, actionem ex Lege Aquilia. *L. 18. §. 1. ff. commod. L. 1. §. 25. ff. deposit. L. 25. §. 4. et 5. ff. Locati Conduct.*

§. XXI.

Is, qui latam culpam committit, infimum diligentiae gradum indeliberate omittit, (§. 114. Dissert. I.) et consequenter indeliberate nullis prorsus vtitur viribus suis explendo officio sufficientibus, (§. 95. l. c.) Sed vsus virium nostrarum explendo officio sufficientium praestruit propositum legibus conuenienter agendi (§. 24. Praecog. Elem. I. C.) Quare qui latam culpam committit, nullum prorsus propositum legibus conuenienter agendi habet. Sed is, qui dolose agit, habet propositum contra leges agendi (§. 102. Diss. I.) id, quod propositum legibus conuenienter agendi tollit. Quare qui latam culpam committit, et qui dolose peccat, in eo conueniunt, quod vtrique nullum prorsus habeant propositum legibus conuenienter agendi: Inde concipimus assertionem legalem, *lata culpa aequiparatur dolo. L. 226. ff. de V. S. L. 32. ff. depos. L. 1. §. 5. ff. de O. A.* conf. B. COCCEII *Disp. III. §. 5. et 9.*

§. XXII.

SCHOLION: Homines ordinarie in rebus suis maximum quidem diligentiae gradum non adhibent, attamen in infimo quoque non subsistunt; Vnde pro medio diligentiae gradu praesumtio remanet, (§.3.) quem homines ordinarie adhibent: Cum autem medius diligentiae gradus sit media diligentia: (§.114. Diss. I.) Inde media diligentia remanet, quam ordinarie homines in rebus suis adhibent. Verum homines res externas suas in statu ciuili administrantes dicuntur patresfam. Quare patresfam. ordinarie mediam diligentiam adhibent in rebus suis. Ast quilibet praesumitur bonus in statu ciuili. Igiturque, pro bono patrefam. media diligentia remanet. Inde adeo ad *intelligendum datur, cur diligentia media ea dicatur, quam bonus paterfam. adhibet.* Et sic diligentia patrisfam. tanquam mensura assumta fuit, secundum quam et infima et maxima determinari possit. *L.32. ff. de depos. L.10. ff. de admin. et peric. tutor. L. 47. ff. de Leg. L.35. §.4. ff. de contr. emt.*

§. XXIII.

Lata culpa aequiparatur dolo (§.21.) Sed ei, qui dolose circa pacta iusta agit, semper damnum inde alteri subnatum, imputatur ad reparationem et poenam, (§.18.) Quare ei, *qui latam culpam circa pacta iusta committit, damnum inde resultans alteri ad reparationem damni et ad poenam attamen paulo minorem, quam si dolo datum, imputatur* (§. 150. Diss. I.) quae est altera demonstratio, ab illa, quae §.19. data, diuersa. *L.23. ff. de R.I. L.37. ff. dep.* COCCEII *Collat.13.*

§. XXIV.

Si quantitas B. eodem modo determinatur ex A. quo D. ex C: tum id, ex quo determinatur A. et B. idem est cum illo, ex quo determinatur C. et D. et consequenter inter A. cum B. et C. cum D. deprehenditur similitudo. Verum similitudo inter quatuor quantitates obuia, quarum duae semper ad se invicem referuntur, efficit proportionem (§. 155. Arithm. Illustr. WOLFFII.) Quare *si quantitas B. eodem modo determinatur ex A. quo D. ex C. erunt C. et D. ipsis A. et*

A. et B. proportionales. conf. Illuſtr. WOLFII *§. 450. Ontol. Lat.*

§. XXV.

Vtilitas, qua paciſcentes a ſe inuicem indigent, ordinarie cauſam pactis iuſtis ineundis dedit, (§. 7.) adeoque cum pactis iuſtis connexa. Sed certus diligentiae gradus etiam cum pacto iuſto connexus, (§. 9.) Inde vtilitas, qua paciſcentes a ſe inuicem indigent, et certus diligentiae gradus ordinarie cum illo tertio, ſcilicet pacto ineundo, connectuntur. Sed ea, quae cum vno tertio connexa, inter ſe ſunt connexa. Quare vtilitas, qua paciſcentes a ſe inuicem indigent, et certus diligentiae gradus ordinarie inter ſe ſunt connexa; Connexa autem ſunt ea, quorum vnum ex altero concipitur ſeu determinatur. Ex quantitate itaque vtilitatis, qua vnus paciſcens ab altero indiget, eodem modo ordinarie certus diligentiae gradus determinatur, quo ex quantitate vtilitatis, qua alter ab vno indiget, ordinarie certus diligentiae gradus alterius determinatur. Verum ſi quantitas vna B. eodem modo determinatur ex A, quo D. ex C. tum quantitates inter ſe ſunt proportionales. (§. praec.) Vnde conſtat, *gradus diligentiae, a paciſcentibus ſibi inuicem praeſtandos, ordinarie quantitati vtilitatis, ex pacto iuſto percipiendae, eſſe proportionales.*

§. XXVI.

Paciſcentes quidem in diligentiam quamdam pacto iuſto conſentiunt, (§. 9.) Aſt gradus ipſius diligentiae vnice et immediate ex conſenſu paciſcentium mutuo non determinatur; quoniam tamen ex principiis aliis eruimus, quod quantitas vtilitatis, quam vnus ab altero percipit, ordinarie proportionalis ſit gradui diligentiae (§. praec.) et ea, quae quidem ex conſenſu paciſcentium mutuo vnice et immediate non fluunt, ordinarie tamen pacto inſunt, naturalia conſtituant. (§. 10.) Inde *ſecundum naturam pactorum in genere quantitas vtilitatis, quam vnus ab altero percipit, proportionalis eſſe debet gradui diligentiae. L. 5. §. 2. ff. commod.* conf. STRVVII *Syntagm. Exercit. 19. §. 36. 40.*

§. XXVII.

Ad naturalia pactorum alteri exhibenda ex pacto iusto perfecte obligati sumus, nisi de alio consensu iusto speciali, ab hoc praesumto diuerso, constet (§. 14) Sed secundum naturam pactorum gradus diligentiae a paciscentibus sibi inuicem praestandi, quantitati vtilitatis paciscentium sunt proportionati, (§. praec.) *Quare paciscentes sibi inuicem ad eum diligentiae gradum, qui quantitati vtilitatis proportionalis, exhibendum perfecte obligati sunt, si de alio consensu iusto speciali, ab hoc praesumto diuerso, haud constet.* conf. *l. 23. ff. de R. I. et L. §. praec. cit.*

§. XXVIII.

Gradus diligentiae, ad quem vnus paciscentium alteri perfecte obligatur, est ad gradum diligentiae alterius, vti quantitas vtilitatis primi, ad quantitatem vtilitatis secundi sub data hypothesi (§. praec.) Ponas itaque quod sub *data hypothesi vnus omnem vtilitatem ex pacto iusto percipiat, alter autem nullam, tum gradus diligentiae primi summus seu maximus, alterius autem minimus esse debet, ad quem perfecte obligantur. L. 5. §. 2. ff. commod. L. 23. ff. de R.*

§. XXIX.

Gradus diligentiae, ad quem vnus iuste paciscens, sub data hypothesi, perfecte obligatur, est ad gradum diligentiae alterius, vti quantitas vtilitatis primi, ad quantitatem vtilitatis secundi (§. 27.). Sint itaque quantitates vtilitatis paciscentium aequales, tum sub data hypothesi quoque gradus diligentiae vnius aequalis esse debet gradui diligentiae secundi (§. 26.) inde hoc in casu gradus diligentiae satis determinatus esse non videtur. Attamen cum sub priori casu, si vnus maximam vtilitatem habet, alter autem nullam: prior maximum, posterior minimum diligentiae gradum praestet: Praesens casus autem a priori diuersus sit; inde quoque, manente hypothesi, diuersa legis dispositio esse debet, adeoque vtrique neque maximum, neque minimum praestant, remanet igitur medius diligentiae gradus, cuius determinatio efficit, vt prioris casus decisio a praesenti distinguatur.

tur. *Ergo si quantitates vtilitatis, quam paciscentes pacto iusto percipiunt, aequales, vterque ad medium diligentiae gradum alteri exhibendum perfecte obligatur. L. 5. §. 2. ff. commod. §. 72. l. 3. t. 1. Elem. aliam exhibet demonstr.*

§. XXX.

Qui occasionem expectandam arripit, vel aliam suscitat, insignem habet voluntatem efficacem finem aliquem existentiae reddendi, vti demonstrat. Cel. KOEHLERVS §. 529. I. N. Verum is, qui sponte sese pacto vel contractui obtulit, ista oblatione, occasionem expectandam vel arripit, vel quamdam suscitare intendit, sub qua finis quidam existentiae reddi debet. Ergo is, qui sponte sese pacto obtulit, ista oblatione declarat, se insignem voluntatem efficacem habere actum quemdam existentiae reddendi. Verum voluntas efficax cum vsu virium explendo actui sufficientium connexa. Quam ob rem is, qui sponte se se pacto obtulit, ista oblatione declarat, se velle *insignibus* adeoque pluribus, quam ordinarie, viribus vti explendo actui sufficientibus. Vsus virium nostrarum explendo actui sufficientium dicitur diligentia (§. 78. Diss. I.) Is igitur, qui sponte se se pacto vel contractui obtulit, ista oblatione declarat, se velle maiorem quam ordinarium diligentiae gradum alteri exhibere. Maior quam ordinaria diligentia, est diligentia maxima (§. 21.) Is adeo, qui sponte se se pacto obtulit, ista oblatione, declarat, se velle maximam alteri exhibere diligentiam. Oblatio spontanea est factum spontaneum, et voluntas facto declarata efficit consensum tacitum (§. 2.) Vnde constat, eum, qui sponte sese pacto, *vel contractui obtulit, tacite in maximam diligentiam consensisse*, adeoque *ad maximam diligentiam praestandam perfecte obligatum esse.* (§. 12. et 15.) *L. 23. ff. de R. Iur.* B. COCCEI. *Disp. II. p. 85. et Coll. II. §. 10.*

§. XXXI.

Qui negotium pacto iusto in se suscipit, cuius peractio summum diligentiae gradum exigit, ista susceptione declarat, se velle summum diligentiae gradum adhibere; alias enim sine omni spe rei sese immiscet, quod tamen de nullo ra-

 tionis

tionis cultore dici potest, voluntas susceptione negotii, hoc est, facto declarata, efficit consensum tacitum (§. 2.) Quare is, *qui negotium alterius pacto iusto in se suscipit, cuius peractio summum diligentiae gradum exigit, tacite quoque in summum diligentiae gradum consensisse praesumitur, et inde quoque ad maximam diligentiam, isto pacto praestandam, perfecte obligatur*, (§. 12, 15.) *L. 23. ff. de R. I. L. 27. §. 29. ff. ad L. A. L. 13. §. 5. 6. ff. loc. cond.* conf. B. COCCEII *Disp. II. p. 84. de Praest. Culpae.*

§. XXXII.

Ponas, quod Titius, qui sponte se se contractui obtulerit, nullam tamen vtilitatem ex pacto percipiat, alter autem omnem: tum secundum vnam regulam generalem Titius minimam, secundum alteram generalem autem maximam diligentiam praestaret (§. 27. et 29.) Vnde eo in casu duae regulae generales aeque obseruandae sibi contradicunt: Verum ex ontologia constat, quod eo in casu, quo duae regulae, aeque obseruandae, sibi contradicunt, exceptio ab vtrisque sit facienda, seu vtrisque aliquid detrahendum: *Hinc is, qui sponte se se contractui obtulit, nullam autem plane ex eodem percipit vtilitatem, mediam diligentiam praestare perfecte obligatur. L. 1. §. 35. ff. deposit.* conf. LAVTERB. *Colleg. Pract. lib. 16. t. 3. §. 31.*

SCHOLION: Dubium forsan oriri possit, ac si is, qui vltro sese contractui obtulit, licet nullam perciperet vtilitatem, tamen ad maximam diligentiam obligatus esset, cum scilicet hoc loco alius consensus a praesumto, quo alias minima determinatur, diuersus adsit: adeoque maxima *potius*, quam minima diligentia exhibenda. Verum cum consensus eius, qui vltro sese contractui obtulit, quo maxima diligentia determinatur, sit tacitus, et consensus eius, qui nullam vtilitatem percepit, quo minima determinatur, sit praesumtus (§. 25. 30.). Consensus vero tacitus et praesumtus in eo conueniant, quod ex quibusdam circumstantiis, sub quibus paciscentes constituti sunt, eliciantur (§. 2. 3.) Inde quoque ea, quae ex consensu praesumto determinantur, eodem modo veniunt obseruanda, ac ea, quae ex consensu tacito determinantur,

tur, si expresse aliud non conuenerint; Idcirco neutra harum determinationum in totum negligenda, sed vtrisque potius aliquid secundum datam decisionem detrahendum, si scilicet expresse aliud non conuenerint pacifcentes.

§. XXXIII.

Res interire dicitur, si illa existere desinit, quae antea existebat. Verum res singulares, seu indiuiduales, quas ICti species vocant, proprie existunt. Vnde constat, quod *interitus rei tantum de re singulari seu specie, minus autem de genere Iuridico praedicari possit.*

§. XXXIV.

Merus Casus apud ICtos idem denotat ac fortuna aduersa, et inde definitur, quod sit euentus dependens a nexu causarum, in alicuius decrementum tendentium, quem praeuidere non possumus. Exinde constat, quod casus merus sit euentus, cuius non existentia non est in nostra potestate. Actus cuius non existentia non est in nostra potestate obligationem moralem, exinde culpam et dolum ignorat (§. 10, 86. Diss. I.) Quare id, *quod mero casu contingit, ita comparatum, vt eius non existentia obligationem moralem, culpam et dolum nesciat.* Ponas autem, quod ei, quod casu contingit, actio nostra libera, seu culpa accedat, tum oritur casus mixtus, cuius non existentia eatenus obligationem moralem admittit, quatenus illius actionis liberae non existentia obligationem moralem admittit. conf. B. COCCEII *Diss. II. §. 19. p. 88. L. 22. ff. ad SCt. Treb.*

§. XXXV.

Vi demonstrationis (§. 11. Dissert. I.) in aprico est, quod is, qui ad actum quemdam omittendum obligatus est, simul obligatus sit, ad actum priori oppositum existentiae reddendum. Si huius propositionis subiecto et praedicato particula *non* adiicitur, secundum regulam in Schol. (§. 97. Diss. I.) datam, haec euadit propositio. *Is, qui ad non existentiam seu abstinentiam actus cuiusdam non obligatus est, simul ad actum priori oppositum existentiae reddendum obligatus non est.*

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Id, quod mero casu contingit, ita comparatum est, vt illius non existentia obligationem moralem ignoret, (§. 33.) obligatio pactitia est obligatio moralis (§. 39. Diss. I. et 12. h. l.) Id igitur, quod rei pactitiae mero casu contingit, ita comparatum, vt illius non existentia in promittente nullam obligationem pactitiam admittat. Verum is, qui ad non existentiam actus cuiusdam non obligatus est, simul quoque ad actum priori oppositum existentiae reddendum obligatus non est. (§. praec.) Id igitur, quod rei pactitiae mero casu contingit, efficit, vt obligatio pactitia promissum effectui dandi cesset. Res pactitia, cui aliquid mero casu contigit, existere, adeoque res singularis esse debet. (§. 33.) *Id* igitur, *quod rei pactitiae singulari mero casu contingit, efficit, vt obligatio pactitia promissum, casu impeditum, effectui dandi cesset. L. 18. pr. ff. comm. L. 13. §. 1. ff. de pig. act. L. 32. ff. de Neg. gest. L. 4. L. 5. C. de per. tut.*

§. XXXVII.

Id, quod rei pactitiae singulari mero casu contingit, efficit, vt obligatio pactitia promissum, casu impeditum, effectui dandi cesset. (§. praec.) Ponas itaque quod *res pactitia singularis vel in totum vel pro parte mero casu interiisset, tum quoque obligatio pactitia, rem vel in totum vel pro parte in alterum transferendi, cessat. L. 23. ff. de R. I. L. 59. ff. locati. Cond. L. 15. §. 2. eod. §. fin. Inst. quib. mod. re contr. L. 52. §. 3. ff. pro socio. §. 3. Inst. de Emt. Vend.*

§. XXXVIII.

Si rei pactitiae singulari casu mixto aliquid contingit, tum illius non existentia obligationem moralem, adeoque pactitiam eatenus admittit, quatenus actionis liberae casui tanquam concausae adhaerentis non existentia obligationem admittit (§. 34.) Ponas itaque actionis illius liberae, tanquam concausae, non existentiam esse non existentiam diligentiae, in quam pacto iusto consentimus, tummodo eius, quod rei pactitiae singulari isto casu contingit, non existentia obligationem moralem admittit (§. 15.) Vnde constat, *quod dolus,*

vel

vel lata culpa, tanquam concausa, accedens casui, qui in re pactitia singulari contingit, semper obligationem pactitiam ad reparationem damni inde euenientis admittat. L. 5. C. de pign. act. L. 5. §. 4. §. 7. ff. commod. §. 3. I. de Emt. V. L. 1. §. 4. ff. de O. et A.

§. XXXIX.

In moram moralem paciscens constitutus dicitur, qui promissum eo tempore existentiae non reddit, quo moraliter obligatus fuit. Cum igitur obligatio moralis praestruat actionem liberam, ad quam existentiae reddendam vires nostrae sufficiunt (§. 18. Diss. I.) Inde paciscens in moram moralem constitutus, non vtitur viribus explendae obligationi pactitiae sufficientibus. Verum non vsus virium explendo officio sufficientium sub se comprehendere potest et dolum et culpae cuiusdam gradum (§. 78. l. c.) Quare paciscens *in moram moralem constitutus vel dolum vel gradum culpae committit, et consequenter damnum vni ex mora sua morali alteri subortum eatenus ad reparationem damni dati imputatur, quatenus eidem vel dolus vel culpa imputabilis inest. L. 14. §. 1. ff. L. 18. §. vlt. ff. de R. V. L. 14. §. 1. et L. 12. §. 3. ff. depos. L. 15. L. 2. C. de per. et commod. rei Vend.*

§ XL.

Si ad interitum rei pactitiae singularis casualem culpa vnius paciscentis quidem, minus tamen tanquam concausa efficiens concurrit, tum modo interitus et inde vnius malum, ex culpa imputabili alteri subortum, dici nequit (§. 124. Diss. I.) et consequenter interitus rei singularis pactitiae mixtus non efficitur, sed mere casualis permanet, (§. 34.) neque adeo obligationem ad reparationem interitus admittit. (§. 38.) Cum igitur mora imputabilis culpam imputabilem inuoluat (§. praec.) *Inde interitus rei singularis pactitiae casualis, cui mora quidem alias imputabilis, minus tamen tanquam concausa efficiens concurrit, obligationem ad reparandum interitum nondum adhuc in altero admittit. L. 14. §. 1. ff. deposit.*

§. XLI.

Genus alicui promiſſum non exiſtit, adeoque illi nihil mero caſu contingere poteſt (§. 33.) et conſequenter praecedentes propoſitiones ad genus alteri promiſſum extendi nequeunt.

§. XLII.

Is paciſcentium, qui interitum rei pactitiae ſingularis in ſe ſuſcipit, in rem aliam huic ſingulari aequipollentem alteri conferendam conſentit. Res alia pactitia rei cuidam ſingulari aequipollens, ita comparata eſſe debet, vt cum ſingulari ſub eodem genere, eodemque pretio contineatur. Quare is paciſcentium, qui interitum rei pactitiae ſingularis in ſe ſuſcipit, in aliam rem ſub eodem genere et pretio contentam, ſeu, vt aiunt ICti, quantitatem alteri conferendam, conſentit. Verum id, in quod pacto iuſto conſentimus, alteri conferre perfecte obligati ſumus (§. 12.) *Quare is paciſcentium, qui interitum rei pactitiae ſingularis in ſe ſuſcipit, ad aliam rem ſub eodem genere et pretio contentam alteri conferendam, perfecte obligatur. L. 6. C. de pign. act. L. 7. §. 15. ff. de pact. L. 39. ff. mand.*

§. XLIII.

SCHOLION: Et haec ſunt principia magis generalia, ex quibus gradus diligentiae circa quodlibet pactum veſtitum Iure Romano determinatos eruere ſcrutabimur. Cuiuslibet autem pacti veſtiti notionem eiusque realitatem, omnes enim ſunt arbitrariae, ex Elementis Iuris ciuilis lib. III. t. 2. et ſequ. praeſtruere licebit, ex iſtis notionibus iudicia intuitiua ſeu axiomata formare, indeque ad principia ſupra ſtabilita reducere volumus, vt prona demum conſequentia gradus diligentiae circa quodlibet pactum veſtitum determinatus, inferatur. Singula tamen eo ordine recenſebimus, quo in Republica Romana obtinuerunt.

§. XLIV.

Omnes contractus praeſtruunt pacta iuſta ab Imperante approbata, vti (§. 164. Praecog. Elem.) oſtendimus. Verum paciſcenti in omni pacto iuſto damna, dolo vel lata culpa alteri data, ad reparationem damni dati imputantur (§. 18, 19,

18, 19, 22.) Quare *ex omni contractu paciscenti damnum dolo vel lata culpa datum ad reparationem damni imputatur.* *L. 1. §. 7. L. 32. ff. dep. L. 1. §. 5. ff. de O. et A. A. L. 226. ff. d. V. S. L. 23. ff. de R. I. L. 5. §. 2. ff. Commod. L. 27. §. 3. ff. de pact.*

§ XLV.

Rerum permutatio seu contractus do vt des, est contractus innominatus, quo paciscentes res sibi proprias externas, in quibus ad pretium vulgare respicitur, in se inuicem transferunt, conf. *§. 11. Lib. III. t. 2. Elem:* Vnde patet, quod ex rerum permutatione vterque paciscentium ordinarie aequalem vtilitatem percipiat. Verum si vterque paciscentium vtilitatem aequalem ex contractu percipit, vterque etiam ad mediam diligentiam alteri exhibendam perfecte obligatur, et inde ipsi damnum culpa leui datum ad reparationem damni dati imputatur. (§. 29.) Quare in *rerum permutatione uterque contrahentium ad mediam diligentiam perfecte obligatur, et inde cuilibet damnum leui culpa datum ad reparationem damni dati imputatur. L. 2. ff. de Rer. perm. L. 5. §. 1. ff. de P. V.*

SCHOLION: Discrimen inter contractum innominatum do vt des, et permutationem, quod alii asserunt, cum B. TITIO *in obseruat. ad Lauterb. Compend.* statuere supersedeo, consentiunt verba vltima *L. 5. §. 1. ff. de P. V.*

§. XLVI.

Casualis rei pactitiae singularis interitus, cui leuis culpa inest, eatenus ad reparationem damni imputatur, quatenus damnum leui culpa datum ex contractu imputatur (§. 36.) Cum autem in rerum permutatione damnum leui culpa datum ordinarie ad reparationem damni dati imputetur (§. praec.) Inde constat, *quod, in permutatione rerum, casualis rei singularis interitus, cui leuis culpa alterius accedit, ad reparationem damni dati imputetur. L. 17. §. 1. ff. de P. V. arg. §. 3. Inst. de empt. V. L. 23. ff. de V. O.*

§. XLVII

Casualis rei permutandae singularis interitus, *cui quidem leuissima culpa, minus autem dolus, vel lata, vel leuis culpa inest, ex hoc contractu alteri ad reparationem damni non imputatur*, (§. 45, 36.) *L. 17. §. 1. ff. de P. V.* Quid obtineat si res permutanda non sit res singularis, sed genus numero determinatum, adeoque quantitas iuridica, apparet ex (§. 41.) conf. LAVTERB. *Comp. lib. 19. t. 4.*

§. XLVIII.

Interitus rei permutandae singularis casualis ex culpa alterius vel lata, vel leui simul, vel dolo ortus, obligationem ad reparationem damni in altero adhuc admittit. (§. 46, 38.) Mora moralis inuoluit vel dolum vel culpae cuiusdam gradum (§. 39.) Quare *interitus rei permutandae singularis casualis ortus ex mora vnius, cui vel dolus vel culpa leuis et lata inest, obligationem ex isto contractu ad reparationem damni dati alteri praestandam adhuc admittit. L. 17. §. 1. ff. de P. V. L. 23. ff. de V. O.*

COROLL: Quandonam interitus rei permutandae singularis casualis, cui mora vnius accedit, obligationem ad reparationem non admittat, patet ex (§. 39. 45.) conf. *L. 2. C. de R. P. §. 3. Inst. de emt. Vend. arg. L. 5. §. 2. ff. commod.*

§. XLIX.

Contractus aestimatorius est contractus innominatus, quo quis alicui rem singularem externam, determinato pretio vendendam, ita tradidit, vt alter vel pretium rei venditae, vel rem incorruptam restituat. conf. *§. 16. lib. III. t. 2. Elem: L. 1. §. 1. ff. de aestimat.* Cum igitur pacta ordinarie non sint gratuita (§. 8.) inde pretium rei vendendae, aut ita in contractu aestimatorio ab vno paciscente determinandum, vt alter pretium maius, quam quod determinatum est, pro re vendenda percipiat; *L. 13. p. ff. de P. V.* aut aliud commodum in specie alteri conferendum: alias enim alter haud raro rem vendendam recuperaret. Porro quo-

que

que tradens commodum quoddam ex hoc contractu percipit, alias enim non tradidisset, si nimirum pretium pro re vendenda magis sibi conueniens non putasset. Hinc adeo apparet, quod ex contractu aestimatorio ordinarie et tradens, et accipiens, vtilitatem praesumtiue aequalem exoptat. Verum paciscentes ad mediam diligentiam sibi inuicem exhibendam, et inde ad culpam leuem praestandam obligantur, si vtrique vtilitatem aequalem ex contractu percipiunt (§.29.) *Quare ex contractu aestimatorio et tradens, et accipiens, ad diligentiam mediam sibi inuicem exhibendam, et consequenter ad damna leui culpa data praestanda obligantur,* conf. *L. 17. §. 1. ff. de P. V.*

§. L.

Is paciscentium, qui interitum rei pactitiae singularis in se suscipit, isto eueniente, ad aliam rem sub eodem genere et pretio contentam, alteri conferendam, seu ad periculum, vt aiunt, praestandum obligatur. (§. 42.) Res pactitia in contractu aestimatorio est res pactitia singularis (§. praec.) *Is adeo contrahentium, qui in contractu aestimatorio interitum rei vendendae in se suscipit, ad aliam rem sub eodem genere et pretio contentam alteri conferendam, seu ad periculum alteri praestandum, perfecte obligatur*, *arg. L. 10. §. f. ff. de Iur. dot.*

§. LI.

SCHOLION. Ex eo, quod vel tradens, vel accipiens, circa contractum aestimatorium alterum rogauerit, adhuc inferre non licet, quod rogans interitum rei vendendae in se susceperit, etiamsi ex ista rogatione vltraneam oblationem inferri posse non negauerim: Quare recte Iustinianus Labionis et Pomponii sententiam, quam in cit. *L. 17. §. 1. ff. de P. V.* profert: *quod nimirum periculum sit penes rogantem*, tanquam valde dubiam, reiecit, et determinauit, quod, vti (§. 49.) asseruimus, ordinarie tantum damna, et inde quoque pericula, quibus leuis culpa inest, sint praestanda. Interea tamen principiis (§. 30.) conueniens esset, quod et, Impera-

 toris

toris menti non repugnat, quam qui sua dispositione, ea, quae ordinarie contractui aestimatorio insunt, respexit; *quod rogans ex eo, quod se se contractui vltro obtulerit, interitum, cui leuissima culpa inest, praestare debeat* (§. 34, 38.).

§. LII.

Malum nobis ex alterius paciscentis mora, cui dolus, vel lata culpa inest, subortum alteri ad resarciendum interesse imputatur (§. 150, 127. Diss. I.). Quare *alteri qui in mora est in restituendo pretio, pro re vendita, accepto, cui dolus vel lata culpa vel leuis inest ad resarciendum interesse obligatur.* (§. 39).

§. LIII.

Ad alium *contractum innominatum*, qui formula *do, vt facias*, vel *facio vt des* insignitur, progredimur. Inuoluit ille contractum bilateralem pro actionibus alteri propriis, nobis conferendis, rem nobis propriam externam, cui pretium tantum vulgare inest, in alterum transferendi, cuius notionis realitatem in *§. 13. lib. III. tit. 2. Elem.* euicimus. Ex hac notione apparet, quod vnus aliquid ex actionibus alteri propriis proueniens, alter autem pro hoc rem externam accipiat: adeoque ordinarie vtrique vtilitatem aequalem percipiunt. Verum si vtrique vtilitatem aequalem ex contractu percipiunt, vtrique ex eodem ad diligentiam mediam sibi inuicem exhibendam obligantur: si nimirum de alio consensu speciali, a praesumto diuerso, non constet (§. 29.) Inde *adeo liquet, quod ex contractu innominato do vt facias, vtrique ad diligentiam mediam sibi inuicem exhibendam obligentur. L. 17. §. 2. ff. de Praesc. V.*

§. LIV.

Si vnus paciscentium vel omnem, vel maiorem, alter autem vel nullam, vel saltim minorem vtilitatem ex pacto iusto percipit, ille ad maximam, hic ad minimam diligentiam obligatur, si naturalia pactorum alio dissensu non sint mutata (§. 27. 28.) Quare *si ex contractu innominato do, vt*

facias,

facias, is, qui dedit, omnem, vel longe maiorem vtilitatem percipit; alter autem vel nullam, vel longe minorem: tum quoque ex isto contractu, is qui dedit, ad diligentiam maximam, alter autem ad dolum et latam tantum culpam obligatur (§. 53.) id quod expresse *L. 17. §. 2. ff. de Praescr. Verb.* determinat.

§. LV.

Si res pactitia singularis casu, cui culpa vnius inest, eo peruenerit, vt alteri exhiberi non possit, tum obligatio pactitia ad interesse eatenus ponitur, quatenus culpa ista obligationem pactitiam ex pacto admittit, (§. 34, 38.). Verum in contractu do, vt facias, vterque paciscentium ordinarie ad mediam diligentiam, adeoque ad praestationem culpae leuis obligatur. (§. 53.) Inde, *si factum promissum simul singulare sit, is, qui istud factum casu, cui ipsius culpa leuis inest, praestare nequit, ad interesse obligatur; huc quoque referas moram imputabilem, in quam alter constitutus*, (§. 39.) Et contra, si idem factum singulare ponitur, quod quidem casu, cui tamen culpa vel nulla, vel leuissima tantum inest, exberi nequit: tum obligatio quoque ad interesse cessat. conf. *L. 5. §. 1. ff. de Praesc. V.*

§. LVI.

Contractus innominati do vt facias, et facio vt facias si ab vno priori adimpleti, inter se inuicem conueniunt, et consequenter ex contractu quoque facio vt facias, vnus adimplens contractum exigit interesse, si alter culpa leui eo peruenerit, vt factum illud singulare casu etiam impeditus praestare non possit (§. 55, 53.) *minus* autem, *si alter vel nulla vel saltem leuissima culpa eo peruenerit, vt factum praestare non possit.*

§. LVII.

Instituto nostro conuenienter ex *§. 22. Lib. III. t. 2. Element.* assumimus definitionem *mutui*, quod sit contractus realis, quo res fungibilis nobis propria, ita in alterum transfertur,

fertur, vt alter post tempus determinatum aliam rem fungibilem eiusdem generis et pretii nobis restituat.

§. LVIII.

Vsura est quantitas quaedam vtilitatis ex re mutuo data proueniens, alteri conferenda. Consentit notio Illustr. RECHENBERGII *L. 2. t. 8. §. 33. Iur. Natur.* prolata. Cum igitur essentia mutui in pacto consistat, quo quis rem sibi propriam ita tradendam promittit, vt alter post tempus aliam rem eiusdem generis et pretii restituat (§. praec.) Inde constat, quod per essentiam mutui vnice et immediate nulla determinetur quantitas vtilitatis, ex re mutua prouenientis, alteri conferenda. Verum id, quod vnice et immediate ex essentia rei determinatur attributum vocant. Quare *vsurarum praestatio non pertinet ad attributa mutui.*

§. LIX.

Pacta gratuita ordinarie non sunt (§. 8.) Inde si statum naturalem spectaueris, ordinarie nec debitor omnem, quae ex re mutuo data deriuatur, nec creditor omnem vtilitatis quantitatem percipere debet (§. 57.) Adeo, si statum naturalem spectaueris, quaedam vtilitatis quantitas, nimirum dimidia, ex re mutuo data prouenientis, creditori ordinarie erit conferenda. Cum autem ea, quae pacto vel contractui ordinarie adsunt, etiamsi ex essentia vnice et immediate non determinentur, naturalia constituant (§. 10.) et quaedam vtilitatis quantitas, ex re mutuo data prouenientis, alteri conferenda, vsuras efficiat, (§. 58.) Inde concludere liceret, *quod ad naturalia mutui, si statum naturalem spectes, pertineant vsurae, parti vtilitatis, quae ex re mutuo data deriuatur,* dimidiae, *proportionatae* (§. 24.) Cum autem quantitas totalis vtilitatis ex re mutuo data deriuatae, propter deficientem debitoris veracitatem, vix accurate determinari possit. Inde quoque, *ad amputandas occasiones litium, vsurae non tam ad naturalia mutui referri, quam potius paciscentium promissioni, tanquam accidentalia relinqui*

potue-

potuerunt. Sed pacta nuda apud Romanos nullam obligationem ciuilem producunt, nisi sint pacta in continenti contractui adiecta (§. 33. Elem.), quae tamen ex post facto demum naturam contractuum nacta fuerunt. §. 34. l. c. Quare *vsurae in Republica inprimis Romana non nisi ex stipulatione valide exigi potuerunt, etiamsi ex post facto pactis in continenti adiectis contractibus constitui valide potuissent,* nisi vsurarum postea pullulantem prauitatem reprimere annisi fuissent. *L. 3. C. de Vsur. L. 24. ff. P. V. Rec. imp. de ann. 1577. et de anno 1634.*

§. LX.

Mutuum est contractus realis, quo res fungibilis nobis propria ita in alterum transfertur, vt alter post tempus determinatum aliam rem fungibilem eiusdem generis et quantitatis pretii nobis restituat. (§. 57.) Ex qua definitione apparet, quod is, cui res fungibilis traditur, sub data hypothesi, seu debitor solus, si notionem mutui in se spectaueris, ex re mutuo tradita vtilitatem percipiat, creditor autem minus. Verum ex contractu iusto, quo vnus paciscentium omnem seu maximam, alter autem vel minimam, vel plane nullam percipit vtilitatem, vnus ad maximam, alter ad minimam diligentiam, sibi inuicem exhibendam, obligatur, (§. 28.) *Quare ex mutuo in se spectato debitor ad maximam, creditor tantum ad minimam diligentiam exhibendam, adeoque debitor ad culpam leuissimam, creditor ad latam culpam obligatur. arg. L. 2. C. de Peric. et comm. rei. Vend.*

§. LXI.

Vsurae circa mutuum creditori vel per stipulationem, vel per aliud pactum in continenti adiectum promissae, efficiunt, vt creditor eandem ex mutuo ac debitor percipiat vtilitatem. (§. 59.) Verum vtrique paciscentes tum demum ad mediam diligentiam exhibendam, et inde ad culpam leuem datam praestandam, obligantur, si vtrique eandem vtilitatis quantitatem percipiant, (§. 29.) Quare vsurae *circa mu-*

tuum promissae efficiunt, vt creditor et debitor ex mutuo ad diligentiam mediam exhibendam, adeoque ad culpam leuem sibi inuicem praestandam, obligentur.

§. LXII.

Res mutuo data est res pactitia quidem, minus autem singularis, cum rem eiusdem generis et pretii restituendam praestruat (§. 57.). Verum casualis rei pactitiae, sed singularis interitus obligationem pactitiam tantum tollit (§. 36, 41.). Quare *casualis etiam rei mutuo datae interitus obligationem debitoris non tollit. L. 11. C. si emt. petat.*

§. LXIII.

Debitor post tempus mutuo determinatum creditori non soluens obligationem pactitiam creditori debitam violat, (§. 57, 12.) et consequenter creditorem perfecte laedit (§. 13) adeoque mala ex mora hacce morali creditori obuia, quae cum laesione coniuncta sunt, et inde damna infert (§. 123. Diss. I.) quae, cum sint reparanda (§. 144. l. c.) *Inde debitor post tempus mutuo determinatum non soluens ad reparanda damna ex mora sua creditori obuia obligatur.*

§. LXIV.

Commodatum est contractus realis, quo vsum rei determinatum in alterum gratis ita transferimus, vt alter nobis rem in specie, seu indiuidualem, post vsum restituat conf. *§. 30. l. III. t. 3. Elem.* quo notionis realitatem euicimus. Is qui in commodato vsum rei determinatum alteri confert, *Commodans*, et alter, cui vsus confertur, *Commodatarius* audit.

§. LXV.

Promissum rebus vel operis ab altero nobis conferendis minus aequale *honorarium* dicitur. Quoniam igitur promissum rebus vel operis ab altero nobis conferendis aequale pactum onerosum efficit *§. 79. l. 3. t. 1. Elem. I. C.* Inde constat, *quod honorarium, contractui accedens, contractum*

vel

vel saltem in totum non efficiat onerosum, potius vero vel ex parte gratuitum esse sinit. arg. L. 6. pr. ff. mand.

§. LXVI.

Commodatarius ex commodato in se spectato vsum rei alterius determinatum gratis percipit, (§. 64.) adeoque commodatarius ex commodato in se considerato omnem vel saltem maximam percipit vtilitatem, commodans autem nullam. Verum ex contractu, quo vnus omnem, alter autem nullam percipit vtilitatem, prior ad maximam diligentiam, et inde ad praestandam culpam leuissimam, alter vero ad minimam diligentiam exhibendam, adeoque ad praestandam alteri culpam tantum latam obligatur. (§. 28.) Quare *commodatarius ex commodato in se considerato, ad maximam diligentiam exhibendam, et inde ad praestandam alteri leuissimam culpam, commodans autem tantum ad latam culpam obligatur. L. 5. §. 2. L. 18. pr. et 3. ff. commod.*

§. LXVII.

SCHOLION: Quoniam praestatio culpae quantitati vtilitatis ordinarie proportionalis. (§. 25.) Inde cum commodans ex commodato in se spectato plane nullam percipiat vtilitatem, inferendum esset, quod commodans ex eodem ad plane nullam diligentiam obligaretur; attamen cum in omni contractu, quidam saltim licet infimus diligentiae gradus sit praestandus (§. 9.) et abstinendum sit ab omni dolo. (§. 18.) Inde in commodato etiam lata quidem culpa praestanda, sed circa eam *remissius* est procedendum, ita vt lata culpa non vt dolus, sicuti ordinarie obtinet, consideretur, neque adeo ad poenam, sed tantum ad reparationem damni, cum alias lata culpa non solum ad reparationem damni, verum quoque ad poenam imputetur (§. 50. Diss. I.) *L. 18. §. 3. ff. commod. L. 61. §. 6. ff. de furt.* quam Legem Cuiacius ad African. p. 534. interpretatur.

§. LXVIII.

Si commodato honorarium accedit: tummodo vel commodans licet non aequalem cum commodatario, tamen ali-

qualem percipit ex commodato vtilitatem (§. 64. 65.) Cum autem tum demum contrahentes ex contractu ad praestandam culpam leuem obligentur, si vtrique aequalem percipiunt ex contractu vtilitatem (§. 29.) Inde inferre licet, *quod ex commodato, cui honorarium accedit, vtrique contrahentes ad leuem culpam sibi inuicem praestandam, vel saltim commodans ad paulo maiorem diligentiam, quam minima est, commodatarius autem ad paulo minorem, quam maxima est, obligantur L. 5. §. 2. ff. Commod. non repugnat.*

§. LXIX.

Quam diu merces seu pecunia vsui, ex re commodata deriuato, proportionalis seu aequalis, commodato haud accedit, tam diu commodatum naturam suam retinet, et in locationem conductionem non mutatur, vti ex notionibus horum duorum contractuum, et inprimis ex (§. 34.) *lib. III. t. 4. Elem.* apparet. Quare commodatum in gratiam seu vtilitatem vtriusque commodantis aeque, ac commodatarii initum, si merces adhuc non interuenerit, commodati naturam retinet, et in locationem conductionem adhuc non mutatur: Interea tamen ex hoc commodato, quodammodo irregulari, vtrique contrahentium aequalem percipiunt vtilitatem, inde quoque *vtrique et commodans et commodatarius ex commodato, in vtriusque gratiam inito, ad diligentiam mediam sibi inuicem exhibendam, adeoque ad culpam leuem praestandam tantum obligantur, secund.* (§. 29.) *L. 5. §. 2. commodati.* COCCEII *Collat. II. §. 11.*

§. LXX.

Commodatum, quod in solius commodantis gratiam seu vtilitatem initum est, retinere potest naturam et essentiam commodati (§. praec.) ex eodem tamen commodans solus mediate scilicet per commodatarium percipit vtilitatem. Vnde quoque ex *commodato, in gratiam seu vtilitatem solius commodantis inito, commodans ad culpam leuissimam*

niam, commodatarius autem tantum ad latam culpam praestandam obligatur (§. 28.) *L. 5. §. 10. L. 18. pr. ff. commod.* conf. *Illustr.* RECHENBERGII *Tract. de Reg. Iur. priu. L. III. t. 6. §. 3.*

§. LXXI.

Res commodata est res pactitia singularis (§. 64.) Quare *interitus rei commodatae mere casualis ordinarie obligationem pactitiam commodatarii tollit.* (§. 36.) *L. 18. pr. ff. L. 20. et L. 33. ff. commod.*

§. LXXII.

Interitus rei pactitiae singularis casualis, cui culpa contrahentis inest, eatenus imputatur, quatenus culpa imputatur (§. 34. 28.) cum autem (§. 66, 68, 69, 70.) culpam eruimus, quae sub diuersis determinationibus commodatario imputanda venit. Hinc quoque ope (§§. cit.) *constat, sub quibusnam determinationibus casualis rei commodatae interitus, cui culpa commodatarii inest, commodatario ad reparationem damni imputari possit. L. 5. §. 4. ff. commod.* conf. *Illustr.* RECHENBERGII *l. c. §. 13.*

§. LXXIII.

Commodatarius rem commodatam sciens in alium vsum, quam qui pacto determinatus, adhibens dolum committit (§. 5, 12. h. l. et §. 78. Diss. I.) Ponas itaque, *rem commodatam ex isto alio vsu, quam qui commodato determinatus, accedente quidem casu interire;* tum deprehendimus interitum rei commodatae casualem ex dolo commodatarii simul ortum, et consequenter *commodatarius commodanti ad reparandum damnum obligatur,* (§. 38.) *L. 5. §. 7. ff. commod.*

§. LXXIV.

SCHOLION: Licet commodatarius in ipso vsu, di-

uerſo ab eo, quem commodans commodato determinauerit, culpam vel leuiſſimam, vel plane nullam commiſerit, quorſum lex citata reſpicit, tamen eo ipſo, quo rem commodatam ſciens in alium vſum, ab eo diuerſum applicat, qui commodato determinatum, dolum committit vel latam culpam, indeque damnum commodanti, etiam citra reſpectum ad commodatum, datum eſſet, adeoque *etiam Lege Aquilia vindicari poſſet.* (§. 20.) *L. 18. §. 2. ff. commod.*

§. LXXV.

Si commodans commodatario rem ad vſus domeſticos dederit, et commodatarius eam peregre ſecum portauerit; tum commodatarius rem in alium vſum diuerſum ab eo adhibet, quam qui commodato determinatur. *Vnde commodatarius rem ad vſus domeſticos accipiens, et peregre ſecum portans, ad periculum etiam commodanti praeſtandum obligatur.* (§. 73.) *L. 18. pr. ff.*

§. LXXVI.

Is contrahentium, qui interitum rei pactitiae ſingularis in ſe ſuſcipit, iſto eueniente ad rem aliam ſub eodem genere et pretio contentam alteri conferendam, ſeu ad periculum, vt aiunt, praeſtandum obligatur (§. 42.). Res commodata eſt res ſingularis pactitia (§. 64.). Quare *commodatarius interitum rei ſingularis commodatae in ſe ſuſcipiens, iſto eueniente, ad rem aliam ſub eodem genere et pretio contentam commodanti reſtituendam, ſeu ad periculum praeſtandum obligatur,* conf. *L. 5. §. 3. ff. commod. Illuſtr.* REICHENBERG. *Tract. l. c. §. 13.*

§. LXXVII.

Si commodans rem commodandam prius aeſtimat, iſta aeſtimatione, tanquam facto, declarat, ſe velle, vt commodatarius interitum rei forſan euenientem, ſuſcipiat: Inde commodatarius rem commodatam aeſtimatam recipiens, iſta

rece-

receptione quoque declarat, ſe velle interitum rei commodatae in ſe ſuſcipere. Quare *commodatarius rem commodatam aeſtimatam accipiens ad periculum praeſtandum obligatur* (§. praec. et 44.) *L. 5. §. 3. ff. commod.*

§. LXXVIII.

Si res commodata deterior apud commodatarium reddita; tum pars intenſa perfectionis rei interiit; conſentit *L. 3. §. 1. ff. proprie res commodata non reddita dicitur, quae deterior reddita.* Vnde ea, quae (§. 72. 73.) de interitu rei commodatae in genere eruimus, veniunt *ad deteriorationem apud commodatarium obuiam applicanda. L. 10. ff. commod.*

§. LXXIX.

Interitus rei ſingularis pactitiae, caſualis quidem, ſimul tamen ortus ex mora alterius imputabili, alteri ad reparationem damni imputatur (§. 39.) Quare interitus rei commodatae caſualis quidem, ſimul tamen ex mora commodatarii imputabili ortus, eidem commodatario ad reparationem damni imputatur (§. 64.) Cum autem commodatarius poſt vſum determinatum finitum et interpellationem in moram moralem conſtituatur, et commodatarius etiam ad leuiſſimam culpam praeſtandam obligetur (§. 64. 66.) inde apparet, *quandonam in moram moralem conſtituetur commodatarius, et quod omnis mora moralis ipſi ſit imputabilis ad reparationem. C. VII. X. de commod.* conf. *Illuſtr.* RECHENBERGII *Tr. l. c. §. 13.*

§. LXXX.

Quilibet paciſcens in id, per quod eius quaeritur vtilitas, conſenſiſſe praeſumitur (§. 3.). Cum autem impenſae etiam extraordinariae, quas commodatarius, ad rem ab interitu conſeruandam, contulit, ſint ea, per quae vtilitas commodantis quaeritur. Inde conſtat, quod commodans in impen-

impensas extraordinarias, ad rei conseruationem necessarias, consenserit. Ad id, in quod pacto iusto seu contractu consentimus, alteri praestandum perfecte obligati sumus. (§. 12.) *Quare commodans ad impensas, ad conseruationem rei commodatae necessarias, extraordinarias commodatario praestandas perfecte obligatus est.* **L.** *18. §. 2. ff. commod.* Quid quod, si commodatarius eas conseruationi rei commodatae denegauerit, et res interierit; tum ea culpa commodatarii interiisset, vnde ad damni reparationem commodanti obligatus esset (§. 72.)

§. LXXXI.

Depositum tertio inter contractus reales loco collocatur, huiusque notionis realitatem quod sit contractus realis, quo alteri custodiam rei nobis traditae gratis promittimus, §. 34. *lib. III. t. 2. Elem.* iamiam euicimus. Determines rem vel litigiosam vel minus, et alterum, qui vel dominus, vel Iudex esse potest: Accipies species Depositi: quarum *prima* Depositum simplex constituit, quo domino custodiam rei traditae minus litigiosae gratis promittimus, *altera, sequestrum voluntarium*, quo domino custodiam rei litigiosae, nobis traditae, gratis promittimus, *tertia sequestrum necessarium*, quo iudici custodiam rei litigiosae, nobis traditae, gratis promittimus. *L. 7. §. f. ff. qui satisd. cog.* conf. B. COCCEII *Ius controu. Lib. 10. t. 3. q. 17.*

§. LXXXII.

In deposito simplici dominus rei deponens custodiam rei suae ab altero expectat (§. praec.) adeoque rem apud se saluam et incolumem seruari non posse metuit; (alias enim, custodiam rei alteri committendo, rem suam cuidam saltim periculo vel ratione restitutionis non exposuisset.) Vnde deponens dominus semper aliquod rei suae periculum imminere metuit: Id quod periculum rei imminens vel inopinatum et subitaneum est, vel minus. Si prius ponas

nas *depositum miserabile* efficitur, quod contractum inuoluit, quo ob periculum inopinatum et subitaneum rei imminens alteri custodiam rei nobis traditae gratis promittimus: Si posterius, *depositum simplex* vel etiam sequestrum voluntarium vulgare prodire potest. (§. praec.) *L. 1. §. 1. ff. depos.*

§. LXXXIII.

Honorarium contractui gratuito accedens ipsum contractum totum non efficit onerosum sed ex parte tantum (§. 65.) Depositum est ordinarie contractus gratuitus (§. 81.) *Quare honorarium deposito accedens illud non quidem in totum sed tantum ex parte reddit onerosum L. f. ff. depos. L. 2. §. 24. ff. vi bon. rapt.*

§. LXXXIV.

Deponens ex deposito ordinarie omnem vtilitatem percipit, depositarius autem nullam (§. 81.) Quare *deponens ex deposito ordinarie ad leuissimam culpam praestandam obligatur, depositarius autem ad latam circa custodiam rei obuenientem* (§. 28.) *L. 1. C. depos.*

§. LXXXV.

Ex deposito, cui honorarium accedit, depositarius quamdam, licet in totum non aequalem, ac deponens percipit vtilitatem (§. 83. & 65.) Verum ex contractu quo vtrique aequalem percipiunt vtilitatem, vtrique ad culpam leuem obligantur (§. 29.) *Quare ex deposito, cui honorarium a deponente accedit, vtrique ad leuem culpam vel saltim depositarius ad paulo maiorem diligentiam, quam minima est, deponens autem ad paulo minorem quam maxima est obligantur L. 5. §. 2. ff. commod.* LAVTERB. *Colleg. pract. L. 3. §. 4. Illustr.* RECHENBERG. *Tr. l. c. t. 1. §. 11.*

§. LXXXVI.

Is, qui vltro se se contractui obtulit, ex quo tamen nullam percipit vtilitatem ad mediam diligentiam et inde et ad leuem culpam praestandam perfecte obligatur. (§. 32.) Depositarius ex deposito ordinarie nullam percipit vtilitatem (§. 81.). Quare *depositarius vltro sese deposito offerens, ad mediam tantum diligentiam deponenti exhibendam, et inde ad praestandam leuem tantum culpam obligatur C. 2. X. dep. L. 1. §. 35. ff. dep.* conf. LAVTERB. *Colleg. Pract. lib. 16. t. 3. §. 31.*

§. LXXXVII.

Quilibet ex instinctu naturali alterius (minus inimici) calamitatis, qua alter absque culpa sua afflictatus misereri duce experientia praesumitur. (Quippe cum et illud experientia in durissimis et tortuosis alias ingeniis comprobat.) Cum autem misericordia secundum eius notionem in nos excitet conatum efficacem alteri fortuna aduersa afflictato viribus nostris succurrendi, §. 461. Metaph. Illustr. WOLFFII. Inde quilibet praesumitur conatum efficacem habere alteri, (minus inimico,) et fortuna aduersa absque culpa sua afflictato, succurrendi. Verum enim vero in deposito miserabili depositarius futurus deponentem minus inimicum, nam inimicitia haud praesumitur, absque culpa sua vel saltim intuitu rerum subitaneo et inopinato periculo adeoque fortunae aduersae expositum deprehendit. (§. 82.) Vnde inferre licet, quod in deposito miserabili depositarius habuerit conatum efficacem deponenti eiusque rebus succurrendi. Sed qui conatum agendi eumque efficacem habet, vltro agit. Quare in deposito miserabili praesumitur, depositarius quod sese deposito vltro obtulerit. Verum depositarius sese vltro deposito offerens ad leuem culpam praestandam obligatur (§. 86.) *Quare depositarius in deposito miserabili ad leuem culpam praestandam*

obli-

obligatur. L. 1. §. 35. *ff. depos.* conf. LAVTERB. *Colleg. Practic.* l. c.

§. LXXXVIII.

Quilibet paciscens ad eum diligentiae gradum ex pacto obligatur in quem eodem pacto consentit. (§. 15.) Dantur pacta et contractus, quibus tantum in custodiam rei traditae consentimus. Quae duae propositiones, quarum vna omnes contractus, altera contractus speciales custodiam rei exigentes respicit, si addantur propositionem inde resultantem compositam veram efficiunt. Inde inferre licet, *quod contrahens in contractibus custodiam rei exigentibus ad eum diligentiae gradum circa custodiam rei ex contractu obligetur in quem eodem contractu consentit.* conf. B. STRVVII *Exerc.* 19. §. 28. *et* 29. Vnde contrahens in contractibus custodiam rei exigentibus culpam citra respectum ad custodiam committit, non quidem ex contractu, sed citra respectum ad illum ad reparationem damni culpa dati obligatur (§. 150. Diss. I.) Cum autem damnum culpa quidem, sed citra respectum ad contractus datum lege Aquilia vindicatur, (§. 155. l. c. et 20. h. l.) Inde *constat quod contrahentes in contractibus custodiam rei solum exigentibus, culpam vel dolum citra respectum ad custodiam committentes non tam ex contractu, quam potius ex lege Aquilia ad reparationem damni dati obligentur.* L. 25. §. 4. *et* 5. *ff. locati.*

§. LXXXIX.

Depositum est contractus custodiam rei depositae exigens a depositario (§. 81.) Quare *depositarius rem depositam facto suo culposo citra respectum ad custodiam deteriorem reddens, non tam ex deposito, quam potius ex lege Aquilia obligatur ad damni culposa deterioratione dati reparationem.* (§. praec.) *L.* 18. §. 1. *ff. commod.*

SCHOLION: Perſpicias quaeſo B. L. quomodo hocce §pho alia difficultas, quam B. THOM. in cit. Diſputat. §. 27. obiecit ope principiorum ſupra ſtabilitorum remoueri potuit. Interea tamen depoſitarius iſto facto in ſe culpoſo e. gr. vſu rei depoſitae ordinarie ſciens eidem in quod pacto iuſto conſenſit, diſconuenienter agit, et propter dolum ſimul ex depoſito conueniri poteſt. (§. 20.)

§. XC.

Interitus rei pactitiae ſingularis mere caſualis obligationem tollit pactitiam (§. 36.) Res depoſita eſt res ſingularis pactitia (§. 81.). Quare *interitus rei depoſitae mere caſualis obligationem depoſitarii tollit. L. 1. C. depoſit.*

§. XCI.

Diligens paterfamilias in periculo rem maioris pretii viliori praefert: Diligentia, quam paterfam. ordinarius in rebus ſuis adhibet, eſt media. (§. 22.) Quare *depoſitarius in communi periculo rem ſuam maioris pretii viliori depoſitae praeferens mediam diligentiam adhuc non intermittit.* Sed contra rem ſuam viliorem rei depoſitae maioris adhuc pretii praeferens intermittit demum diligentiam mediam. Cum autem depoſitarius in depoſito ordinario tantum ad latam culpam in miſerabili autem ad leuem deponenti praeſtandam obligetur, (§. 84. 87.) et intermiſſio diligentiae mediae indeliberata ſit leuis culpa, (§. 114. Diſſ. I.) Inde conſtat, quod *depoſitarius in depoſito ordinario nec quidem ad reparationem damni obligetur licet rem ſuam viliorem rei depoſitae maioris pretii praetulerit; ad quam tamen obligari poſſe videtur in depoſito miſerabili.* conf. B. TITII *Ius pr. lib. IV. C. 12. §. 15.* et PVFFENDORFF *I. N. et Gent. lib. V. c. 4. §. 7.*

§. XCII.

Interitus rei pactitiae ſingularis ex caſu quidem quoad partem et ex culpa alterius ortus eatenus alteri ad reparationem

tionem

tionem damni imputatur, quatenus ipsi culpa imputatur. (§. 34, 38.) Res deposita est res pactitia singularis (§. 81.) et depositarius ordinarie ad latam culpam, in miserabili ad leuem obligatur. (§. 84, 87.) Quare *interitus rei depositae ex casu quidem et simul ex culpa lata in ordinario, et leui in miserabili ortus, depositario ad reparationem damni dati imputatur. L. 1. §. vlt. ff. deposit.*

§. XCIII.

Morae morali semper vel dolus vel culpae quaedam species inest (§. 39.). Vnde apparet quod interitus *rei depositae casu quidem, quodammodo ex mora tamen morali depositarii ortus tum demum depositario imputetur, cum apparuerit, huic morae morali dolum vel culpam quandam depositario imputandam inesse* (§. praec.) *L. 1. §. 22. ff. depos.*

§. XCIV.

Pignus est contractus realis de re nobis propria in alterum in securitatem crediti sui transferenda §. *36. l. 3. t. 2. Elem.* Cum igitur creditor securitatem crediti sola possessione obtinere possit, istaque possessio vsum rei adhuc non inuoluat. Inde debitor pignore in se spectato in vsum rei creditori conferendum non consentit, et consequenter vsus rei oppignoratae alteri creditori conferendus ad accidentalia pignoris pertinet. (§. 11.) Verum accidentalia contractus pacto in continenti adiecto vel stipulatione ciuiliter valide, et pacto ex interuallo adiecto naturaliter valide in quolibet contractu promitti possunt, (§. *31. lib. 3. t. 1. Elem.*) *Quam ob rem vsus rei oppignoratae in vicem vsurarum pacto in continenti adiecto vel stipulatione ciuiliter valide promitti potest. Inde pactum antichriseos ortum. L. 2. §. 2. ff. de pign. et hypoth.*

§. XCV.

Ex contractu pignoratitio creditor vel saltim securitatem crediti, accedente autem pacto antichriseos vsum quem-

dam in vicem vſurarum, debitor autem ope alterius praeuii contractus e. g. mutui aliam vtilitatem percipit (§. 94.) Quare ex contractu pignoratitio vtrique paciſcentes vtilitatem quamdam licet non ſemper, tamen plurimis in caſibus aequalem percipiunt. Nam ſi etiam pactum antichriſeos non accedat, tamen vti Romanorum hiſtoria et noſtra experientia comprobat, creditores ex quantitate mutui partem quamdam in vicem vſurarum detrahere conſueſcunt. Cum autem paciſcentes vtrique vtilitatem ex contractu capientes, licet in totum aequalis non ſit, ad mediam diligentiam ſibi inuicem exhibendam et ad praeſtandam culpam leuem obligentur. (§. 29.) *Inde ordinarie creditor et debitor ex contractu pignoratitio ad mediam diligentiam ſibi inuicem exhibendam, et ad praeſtandam ſibi iuuicem culpam leuem obligantur. §. vlt. Inſt. quib. mod. re. contr. L. 14. ff. L. 22. §. 5. de pignor. act. L. 19. C. de pign. et hypoth.*

§. XCVI.

Contractus pignoratitius in ſe ſpectatus cuſtodiam rei oppignoratae a creditore exigit. (§. 94.) Quare *creditor rem oppignoratam facto ſuo etiam culpoſo, citra reſpectum ad cuſtodiam, deteriorem reddens, non tam ex contractu pignoratitio, quam potius ex lege Aquilia ad reparationem damni iſta culpoſa deterioratione dati obligatur.* (§. 88.) *L. 18. §. 1. ff. commod. L. 7. ab initio C. de pignor. act.*

§. XCVII.

Creditor in pignore in ſe ſpectato in cuſtodiam rei oppignoratae, et abſtinentiam ab vſu rei conſenſit. (§. 94.) Quare creditor in pignore ordinario ei, in quod pignore conſenſit ſciens diſconuenienter agit; ſi re oppignorata vtitur, et conſequenter dolum committit (§. 100. Diff. I. et §. 12. h. l.) Ponas itaque, *quod iſto vſu res oppignorata deterior reddita, tum creditor debitori dolo damnum infert, cuius reparatio etiam actione pignoratitia exigi poteſt a debitore L. 7.*

in

in med. C. de pign. act. L. 13. §. 1. ff. eod. L. 19. C. de pign. et hypothec.

§. XCVIII.

Res oppignorata est res pactitia singularis (§. 94.) sed interitus rei singularis pactitiae mere casualis obligationem pactitiam tollit (§. 36.) *Interitus adeo rei oppignoratae mere casualis obligationem creditoris tollit. §. vlt. Inst. quib. mod. re. contr. L. 13. §. 1. ff. de pign. act. L. 19. C. de pignor. et hypoth. L. 9. pr. C. de pign. act.* Deterioratio rei partialem quemdam interitum inuoluit (§. 78.) et creditor ad praestandam culpam leuem obligatur (§. 95.) *Creditor igitur, qui rem oppignoratam leui sua culpa, circa custodiam, deteriorauerit, ad damnum debitori reparandum obligatur. L. 3. C. de pign. act.*

§. XCIX.

Morae morali vel dolus vel quidam culpae gradus inest. (§. 39.) Quare *interitus rei oppignoratae casu quidem, sed simul ex mora creditoris ortus, in quam post solutionem debiti constituitur, creditori eatenus imputatur, ad reparationem damni, quatenus huic morae dolus et culpa ipsi imputanda inest.* (§. 34. 38.)

§. C.

Creditor debitori, ad diem determinatum, non soluenti, rem quamdam, citra debitoris consensum, propria vi aufferens, cum debitore isto quidem, propter deficientem consensum, contractum pignoratitium non init; attamen propria vi debitorem ad adimpletionem obligationis cogere intendit. Cum vero is, qui in statu ciuili ordinario alterum obligatum, absque imploratione magistratus, vi propria cogit, delictum commmittat. conf. §. *66. l. III. t. 9. Elem.* Inde constat, quod creditor debitori ad diem non soluenti rem quamdam, citra ipsius consensum, absque imploratione magistratus, vi propria aufferens, delictum comittat. Cum autem malitia delinquentis poena et aliis malis confectariis

riis prosequenda. Inde ad *intelligendum datur, cur recte Romani determinauerint, quod ipse creditor periculum postea rei ferre debeat: L. 30. ff. de pign. act.* Verum huius periculi praestatio non ex contractu pignoratitio, qui inter eum et debitorem non intercessit, determinata est: Attamen, si cum consensu debitoris abstulit, tum demum oritur contractus pignoratitius, et inde Lex citata decisionem (§. 98.) datam secuta. Cuius legis explicationem ideo addere volui, cum et B. THOMASIVS in citata Dissert. §. 23. istam legem obiiciat ad difficilitandas decisiones Romanas culparum circa contractus.

COMPLEMENTA MISCELLA.

I. *Delicta priuata vera, sunt delicta, quibus cociues subiecti sese inuicem citra pacta laedunt.*

II. *Quasi delicta priuata sunt delicta, quibus cociues subiecti sese circa pacta laedunt, quae laesiones tamen non tam iure ciuili pactitio priuato immediate vindicari possunt.*

III. *Iniuria est factum dolosum, quo alterius quantum morale simplex violatur.*

IV. *Interdicta possessoria constituunt actum, quo ius naturale contra eum, qui nos in vsu iuris realis turbauit, coram Iudice persequimur.*

V. *Aequitas est exceptio a iure stricto per officium humanitatis insigne alteri exhibendum determinata.*

)o(

